













M Tuscher fecit



CONCIONES
QVÆ IN TRIBVS DIEBVS PVBLICARVM
Precationum, 16. 17. 18. Martij Anno 1597 Ecclesiis Daniæ & Noruagiæ proponentur.

Vniformitatis causa scriptæ ac editæ

à

P. I. V.

Iacobi 4. v. 3.

Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.

HAFNIÆ.
Impreßit Matthias Vinitor.
M. D XCVII.

Dn: Iohanni Jacobeo Dom.
[illegible]

CONCIO PRIMÆ DIEI,

Psalmo 50. Vers: 14. & 15.

IMMOLA DEO Sacrificium laudis: & redde altissimo vota tua.

Et inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis me.





IN

IN tabernaculo Domini, & exinde in templo Hierosolymitano á Salomone magnificè extructo, duo erecta fuisse altaria legimus: unum foris, alterum intus: in hoc Thymiamata & incensa suauissimi odoris adolebātur: in illo verò victimæ omnis generis cædebantur & immolabantur. Quo significari voluit Dei spiritus, duo etiam in templo spirituali erigenda esse altaria, unum cordis nostri, alterum corporis: in quibus duplex à nobis quærit sacrificium Deus, unum, vt ad orationem feruentes simus atque alacres, alterum, vt mortificandæ ac subiugandæ carni operam impendamus sedulam. Si enim alterutrum horum á nobis neglectum fuerit, frustra offertur alterum. Etenim qui orationi studet, & interea mores suos sic negligit, vt lasciuientem carnem cum vitiosis concupiscentijs & affectibus à lege & voluntate Dei abhorrentibus non mactet & iugulet: Hic in illud Prophetæ incidit. Appropinquat mihi populus hic ore suo, &

Exod. 30. vers. 1.

1. Cor. 6. vers. 19.

Esa. 29. vers. 13.

labils me honorat: cor autem illo-
rum procul eſt à me. Rurſum qui car-
nem ſuam prauoſq; animi motus, ſeueri-
ore diſciplinæ genere in ſe vſus, iugulat,
verũ ad incenſum hoc ſpirituale offeren-
dum ſegnis eſt, ex carnis mortificatione
vitæq; aſperitate fructum nullum perci-
pit. Quocirca utrumq; pio ſimul curan-
dũ homini: ut & in interiori altari cor-
dis ſui orationũ ſpiritualium ac cœleſti-
um diſideriorũ odoramenta, per ignem
æterni amoris Dei, in cõſpectu conditо-
ris ſui incenſa, offerat: & in exteriori
altari, opera pietati cõnſentanea, & pro-
feſsione Chriſtiana digna exhibeat.

Hæc nobis accuratè conſideranda &
ſtudioſe facienda erunt, qui mandato
Sereniſsimæ Maieſtatis Regiæ conuentus
publicos exercendæ pietatis gratia hoc
triduo facere iubemur: Vt vtrumq; Deo
noſtro offeramus, preces videlicet veras
& feruidas tanquã ſuffitus & incenſum
coram facie eius, quibus veniam delicto-
rum noſtrorũ per viſcera miſericordiæ
ipſius impetremus: quam vbi conſecuti
fuerimus, in poſterũ corpora noſtra, ho-
ſtiam viuam, ſanctam & acceptam Deo

ſiſtamus

ſiſtamus per fidem in Chriſtum, & ei ſeruiamus in ſanctitate & iuſticia omnibus diebus vitæ noſtræ.

Secus hodie fit (proh dolor) à multis, qui neutrum horū præſtant, vel ſi vnum faciant, alterum prorſus negligant, & interea dum externè ſancti eſſe volunt, carni & ventri (quem ſolum & vnicum Deum cum Cyclope agnoſcunt) omnia ſua litant & ſacrificant.

Proinde ſi nos rebus noſtris bene cōſultum volumus, excuſſa impietate, nos totos in illum verū Deum conijciamus, noſtra ipſi ſacrificia laudis immolemus, & vota perſoluamus, inq; omni neceſsitate noſtra quâ ſæpius, dum á Domino peregrinamur, vrgemur, ſedulò eum inuocemus, nihil dubitantes quin gemitus anxiorum cordium noſtrorum ex fide profectos tanquam verum ſacrificium benignè ſuſcipiet, pœnitentiam noſtram iuuabit, fidem excitabit, & è peccatorum ſeruitute exemtos, in libertatem filiorum ſuorum aſſeret, per Chriſtum vnicum propitiatorem, quem intimè rogamus: vt ſpiritum gratiæ & precum ſuper nos hodie effundat, cuius

motu & afflatu acti & impulsi ipsi grata & salutaria ore & corde dicamus & faciamus.

Textus Psalmi 50. à versu 14. ad finem vsq; , quem priore hoc biduo enarrare decreuimus. Primùm describit veram colendi Dei rationem, quæ in gratiarum actione & vera inuocatione consistit. Mox falsum & simulatum impiorum cultum prolixè reprehendit, additis in fine minis & promissionibus, quibus ad pietatem & in bono opere perseuerantiam, omnes tam bonos quàm malos inuitat. Priorem partem hodie, Spiritu Dei sancto nobis cooperante enarrabimus, Cuius hæc sunt verba:

Immola Deo Sacrificium laudis, & redde altißimo vota tua.

Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te & glorificabis me.

CONtinent hæc verba insignem descriptionem veri cultus Dei, qui non in externis sacrificiis & ritibus illis

Mosaicis

Moſaicis, aut ceremonijs ex opere opera-
to factis, ſeu in qualicunq; geſtu foris &
in ſpeciem religioſo conſiſtit: Quemad-
modū ipſe Dominus ſuperioribus Pſal-
mi verſibus prolixè demonſtrauit: Sed
in vera beneficiorum diuinorum cele-
bratione, in frequente & ardente inuo-
catione, atq; in præceptorum eiuſdem
obedientia.

Huius itaq; veri cultus diuini partes duas cōſtituit, quas tanquam locos concionis hodiernæ explicabimus.

I. Gratiarum actionem pro acceptis beneficijs continet.

II. Inuocationem, quâ neceſſaria deinceps Deum poſtulamus.

DE PRIMO.

Immola Deo Sacrificium laudis,
& redde altiſſimo vota tua.

INitio obſeruandum venit, quòd Dominus prius meminit ſacrificij laudis ſeu gratitudinis, quæ ore offertur,

quàm de inuocatione agat: vt ostendat
se ante omnia publicam accepti benefi-
cij prædicationem ex læto corde profi-
ciscentem requirere, tanquã vnicum sibi
gratissimũ sacrificium, neq; vllum aliud
inueniri, quo eius virtutes vel apertius
prædicare, aut nostram ei gratitudinem
melius approbare queamus: quam si sen-
sus nostros omnes eò intendamus, vt eius
erga nos beneficia dignè reputemus &
celebremus. Psal. 116. v. 12. Psal. 113. v. 2.

Cæterum quod Dei laudes sacrifici-
um labiorũ vocat, sicut & Hoseas vitu-
los labiorum, alludit ad legalia sacrificia
Εὐχαρίστια Thoda Hebræis dicta, Le-
uit. 7. v. 12. & 15. Quæ interioris cultus
externa tantum & visibilia signa erant:
Nam vt populus Dei, iussu legis δοξο-
λογίαις seu deprædicationi gratiæ ad-
debant mactationes boum, vitulorum,
agnorum &c. quæ non labijs sed mani-
bus offerebantur, tanquam σωτήρια &
symbola, quibus se liberationem à malis,
& omnis generis priuatiuas ac positiuas
gratias soli Deo acceptas tribuere testa-
bantur. Ita vnicum sacrificium fideli-
um in nouo Testamento est: vt consi-

deras

deratis beneficijs confertim sibi collatis hostias spirituales (carnalibus sublatis & reprobatis) offerant ex fide in Christum, quæ fides fons est gratiarū actionis quemadmodum & inuocationis, ex quo debitus semper Deo honos profluit, Idq; tam externè labijs, quàm corde internè. Sicut enim corde creditur ad iusticiam, ita ore fit confessio ad salutem Rom. 10. v. 10.

Trahit igitur secum hæc gratiarum actio, magnum chorum pulcherrimarum virtutum, præcipuè verò has duas complectitur.

I. Celebrationem nominis Dei &

II. Obedientiam, de quibus expressè hoc loco agit Psalmista.

I. Celebratio & confessio nominis diuini, est quâ (vt dixi) Deo tribuimus honorem debitum, & alacri ac læto corde & ore nos actorum memoriam retinere testamur, & pro beneficijs tam vniuersalibus, quàm Ecclesiæ peculiaribus, acceptis vel promissis, gratias agimus, eiusq; laudes celebrantes, alios ad similes cultus præstandos inuitamus. Psal: 116. v. 12. Psal 55. v 13. & 61. v. 9. Eph. 5. v. 20. Phil. 4. v. 6

Hunc cordis affectum, labiorum testimonio comprobatum, Deo gratissimum esse sæpe testatur Scriptura.

Psalm. 69. v. 32. Laudabo nomen Domini cum cantico, & magnificabo eum in laude, & acceptius erit ei, quàm bos aut iuuencus producens cornua & vngulas. Oseæ 14. v. 5. Accipe bonum & reddemus vitulos labiorũ nostrorum. 1. Pet. 3. v. 5. Offerte hostias spirituales acceptas Deo per Christum. Hebr. 13. v. 15. Per ipsum ergo assiduè offeramus Deo sacrificium laudis: id est fructum labiorum confitentiũ nomini eius, & sic in donorum diuinorum meditatione versemur, vt nosmetipsos & alios, ad perpetuam celebrationem honoris Dei, cum summa veneratione ipsius, quotidie accendamus.

Exempla gratiarum actionis plurima & pulcherrima passim extant in sacris literis, nominatim autem Exod. 15. Iudic. 5. 1. Sam. 2. Esa. 26. Dan. 3. Psal. 102. 103. 104. &c.

2. Secun-

2. Secunda virtus gratitudinis eſt *Reddere altiſsimo vota noſtra*, Seu ſacrificium Neder, Leuit. 7. v. 16. Hoc eſt, non ſolum grati animi ſignificationem verbis nudis teſtatam relinquere erga illum qui in alto omnia moderatur & pro ſua bonitate gubernat, á quo etiam omnis donatio bona & omne donum perfectum deſcendit: Sed & obedientiam noſtram ipſi perpetuò operibus iuſticiæ, fidei, ſpiritus & vitæ totius nouitate declarare tenemur, cum Iſraelitis dicendo Exod. 24. v. 7. Omnia quæcunq; locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes.

Vota nuncupare Deo de rebus quibuſdam ipſi gratitudinis loco offerendis vſitatum erat Iudæis, quo arctiſſimè obligati perpetuò veluti debito ſe ſuáq; omnia Deo deberi commonefiebant. Num. 30. v. 3. Si quis virorum votũ vouerit Domino, aut ſe cõſtrinxerit, non faciet irritum verbũ ſuũ, ſed omne quod promiſit (ſtatim) implebit.

Ad eundem modum, cum & nos Deo ex fœdere obſtricti ſumus, ideo ne & beneficii

neficij ipſius & promiſsi noſtri prorſus obliuiſcamur, ſancta ſemper meditatio habenda erit de ſolenni voto, quod ipſi primum in Baptiſmo nuncupauimus, vbi Sathanæ renunciantes, Deo nos in ſeruitutem addiximus, & omnia noſtra ſolenni obligatione vouimus: exinde etiam ſæpius in pœnitentia quotidiana, in cõfeſsione vel ſoli Deo, vel coram eius miniſtro facta, ad præſtandã ſanctis ipſius mandatis obedientiam, fidem, gratitudinem erga ipſum declarãdam, & opera charitatis erga proximum ſanctè obligauimus. Huius igitur voti & promiſſionis perpetuò dum in hac vita manemus, damnati ſumus. Ideoq; cogitandũ de eo ſæpius erit, & tum maximè, quando in corde ſentimus nos, irritatis cõcupiſcentijs, ad peccatũ aliquod inclinare, vel acceptorum memoriã apud nos frigeſcere, & gratiam ſeneſcere, vt eo veluti ſtimulo ad officium, & ad gratitudinẽ debitã, promptè totoq; pectore præſtandam, excitemur, ne ſimiles reddamur ijs, qui malis vrgentibus anxiè opem aliorũ implorant: liberati verò acceptæ ſalutis memoriam mox ſepeliunt. Exo. 8 v. 28. Luc. 17. v. 18.

DE SECVNDO.

SEcundus locus continet alteram partem veri cultus Dei, quæ est *Inuocatio* ex fide & confeßio nominis diuini, quam nobis seuerè hic mandat Dominus inquiens:

Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te & glorificabis me.

Huius partis circumstantias paulò accuratius expēdamus, vt tantò vehementius ad inuocationem præstandã inflãmemur & plenius informemur quid de Dei gratia & bonitate nobis omni tempore polliceri debeamus. Sunt autem hæ.

I. Quid in neceßitate agendum, nempe inuocandum.

I. Ad quem dirigenda inuocatio.

II. Quando.

V. Vtilitas & fructus eius.

V. Quid post liberationem Deo vicißim debeamus.

Inuoca me &c.

PRimùm à nobis seuerè efflagitat inuocationem: eo autem nomi-

ne preces

ne preces non vulgares, sed ardentes & assiduas in Spiritu & veritate, per & propter solū mediatorem Christum effusas, & ex corde contrito proficiscentes intelligit. Eius autem duæ sunt partes

Petitio & Assensus.

Petitio est, quâ iuxta verbum Dei serio imploramus propter mediatorem ipsius gratiā & opem, de necessarijs quæ desunt impetrandis, & malis quæ adsunt auferendis vel mitigandis. 1 Ioh 5 v. 14. Hæc est fiducia, quam apud Deum habemus, ipsum, quod si quid petiuerimus secundum voluntatem eius, nos audire. Ioh. 14. v. 14. & cap. 16. v. 23. Colos. 3. v. 17.

In Petitione autem hæc duo exprimimus. 1, Sensum indigentiæ nostræ, quo animus afficitur propter carentiam iusticiæ, seu priuationem boni, quod adesse debebat, & amissionem gratiæ diuinæ, eòq; tanquam pondere grauissimo tandem (nisi subueniatur) fatiscit obrutus. Psalm. 38. v. 6. Miser factus sum & curuatus tota die contristatus ingrediebar, 1 Sam. 1. v. 10. Cum

illa

illa eſſet amara animo, inuocauit Dominum & vehementer fleuit. Pſal. 130. v. 1.

2. Alterum quod in Petitione exprimimus, eſt deſiderium gratiæ Dei indigentiam noſtram ſupplentis. Pſalm. 42. v. 1. Sicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum &c. Pſal 143. v. 6. Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra laſſa (ſitiens) tui. Eſai. 26. v. 9. Anima mea deſiderat te per noctem, & ſpiritu meo qui intra me eſt, manè quæram te. Matth. 5. v. 6. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.

Secunda veræ inuocationis pars Aſſenſus eſt, ſeu perſuaſio à Spiritu ſancto cordi impreſſa, quâ quiſq; ſibi ſpeciatim promiſſiones Euangelicas applicat, & quod omnibus in genere offertur, per fidem appropriat. Rom 10. v. 14. Heb. 11. v. 1.

Hæc fidei πληροφορία fixo oculo intuens diuinas promiſſiones, nunquam relinquit fidelem in veritate inuocantem,

animi

animi dubium: Sed certum eum efficit, Deũ & petitiones iam factas opportunè auditurum, atq; ſalutaria donaturum: & interea patienter, hoc eſt vt Eſaias loquitur Cap. 30. v. 15. In ſilentio & ſpe expectat auxilium & liberationem. Num. 21 v. 3. Exaudiuit Dominus preces Iſraël. 1. Paral. 5. v. 20. Exaudiuit eos, eò quod credidiſſent in eum. Tob. 3. v. 24. In illo tempore exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei. Luc. 1. v. 13. Ne timeas Zacharia, nam exaudita eſt deprecatio tua. 1. Ioh. 5. v. 15. Abac. 2. v. 3. Pſal. 130 v. vltimo.

II. *Me*, Secunda circumſtantia oſtendit cui hic cultus competat, ſeu ad quem dirigenda ſit oratio: nempè ad ſolum viuum & verum Deum, χαρδιογνώστην omnium bonorum autorem & datorem, qui ſe patefecit in verbo ſuo & illuſtribus teſtimoniis ſuam eſſentiam & voluntatem generi humano declarauit. Nam cum vita ſalùsq; noſtra in vniuerſum

ſum

ſum ab iſto ſolo tanquam perenni fonte promanat: Vult vt ad illum etiam ſolum, non ad commentitia numina aut creaturas vanas & fallaces confugiamus, aut brachium noſtrum, carnem ponamus: Sed ab ipſo ſolo pendeamus, ab eo petamus & expectemus auxiliũ, in ipſo acquieſcamus, & ipſi ex aſſe ſalutem atq; omnia beneficia accepta feramus. Qui (inquit Dauid) ad illum reſpiciunt, illorũ facies non cõfundentur. Ioel. 1. v 31. Rom. 10. v. 13. Quiſquis inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. Pſal 2. v. 13. Beati qui ſperant in eo. Pſal. 31.. v. 1. Hoſeæ 13. v. 4. Non eſt ſaluator præter eum. Eſai. 45. v. 21. Matt. 11. v. 28. Act. 4. v. 12.

Ierem. 17. v. 5.

Peccant igitur & errant vehementiſsimé, qui hunc cultum vel præſtare negligunt, vel ad alios quàm ad hunc ſolum Deum in neceſsitatibus confugiunt, & in creaturis, creatore (fonte omnis boni & cauſa vitæ in natura) relicto, fiduciam collocant, ijsq; accepta beneficia attribuunt. 2. Reg. 1. v. 2.

Ahaſias in ægritudine ſua miſit ad conſulendum Baal Zebub Deo Ecronitarum. Conqueritur de his Dominus apud Ieremiam Cap. 2. v. 13. Dereliquerunt me fontem viuum & foderunt ſibi ciſternas.

In die neceßitatis.

TErtia circũſtantia tempus precandi, votaq; faciendi aptiſsimum illud eſse indicat, quo nos cruce preſsi, in memoriam redimus peccatorum & miſeriarum noſtrarum, tum enim non modo ope & miſericordia diuina vel maximè opus habemus: verum Deus etiam ipſe, nullo tempore libentius paterno vultu nos reſpiciens ad preces clamoresq; noſtros aures ſuas accommodat & mala mitigat vel tollit: Iuxta promiſsionem, Pſal. 91. v. 15. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Hæc etiam cauſa eſt cur Deus interdum afflictiones mortalibus immittit, vt anguſtiæ tales querulas voces

& pre-

& preces illis exprimant, & excis
tent homines (cœteroquin in rebus se-
cundis & ad voluntatem fluentibus, se-
gnes inq; precibus languentes) ad timo-
rem Dei, pœnitentiam, inuocationem,
& ad frenandas cupiditates prauas &
illicitas. Psal. 83. v. 17. Imple facies
illorum ignominia, & quærent no-
men tuum Domine. Esai. 26. v. 16.
Iehova in angustia visitauerunt te,
effuderunt orationem, cum correp-
tio tua fuit ipsis &c. Oseæ 6. v. 2. In
tribulatione sua manè consurgent
ad me & dicent: Venite reuertamur
ad Dominum, Quoniam ipse per-
cussit, ipse obligabit vulnus nostrũ.

Exempla: Moses ad mare ru-
brum. Exod. 14. v. 16. Dauid in æ-
rumnis. Psal. 130. v. 1. Ionas in ventre
ceti. Ionæ 2. v. 3. Tres pueri in for-
nace æstuante, Dan. 3. v. 25. Disci-
puli periclitantes in mari. Matth. 8.
v. 25 Mulier Cananæa, Matth. 15. v.
22. Regulus, Ioh. 4. v. 46. Et similes
multæ myriades exemplorum.

Quando igitur & nos calamitatibus premimur, & ferulam Dei ſentimus, ipſumq; præſentiæ ſuæ ſenſum aliquamdiu ſubducere intelligimus, ſciamus tales afflictiones conciones pœnitentiæ eſſe, Quibus excitati, ilicò ad preces confugiamus & infirmitatem noſtram agnoſcentes ac deplorantes, petamus remiſſionem & liberationem propter Chriſtum, & mox illum nobis propitium experiemur, iuxta promiſſionem quæ ſequitur.

Eripiam te.

QVarta circumſtantia dulciſſimã & ampliſſimam promiſſionem exauditionis continet, de duabus rebus nos potiſſimum admonens.

1. De promptitudine Dei ad ſuccurrendum atq; paratiſſima reconciliationis gratia.

Pſal. 145. v. 18. prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem illorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. Eſai. 65.

V 24.

v. 24. erit antequã clament ego ex-
audiam: adhuc illis loquentibus, ego
audiam. Psal 34. v. 20. multæ sunt tri-
bulationes iustorum, sed de omnibus
ĩjs liberabit eos Dominus. Psal. 91. v.
15. Clamauit ad me & exaudiã eum:
cum ipso sum in tribulatione, eripiã
eum & glorificabo eum. Psal. 84. v.
17. & passim alibi.

2. De admirabili efficacitate & virtu-
te orationis in spiritu & veritate cõcep-
tæ, quæ nequaquam vt inane murmur,
aut sonus feriens aërem, subitoq; euane-
scens, irrita manet: sed nubes penetrat,
nec recedit ab altissimo, priusquã aspi-
ciat, Syrach. 35. v. 21. Matth. 21. v. 22.
Omnia quæ petieritis credentes acci-
pietis. Præclarè igitur diuus Chrysosto- Chryso-
mus, aliquot cumulando exempla, veræ stomus in
inuocationis vim exprimit, inquiens: O- Oratione
ratio Caminum ignis tribus pueris ex- habita in
stinxit: Oratio conclusit ora leonum, ne eius re-
Danieli nocerent: Oratio Mosis seditio- gressu.
nem compescuit: Amalechitas deuicit:
Deum iratum populo reconciliauit: O-
ratio Eliæ cœlos aperuit, ignem ad sa-

 cri-

crificium, pluuias ad ficcitatem terræ impetrauit: Oratio Cornelii cœlos penetrauit: Oratio publicanum iustificauit: Oratio Ecclesiæ, vinculum Petri soluit: Oratio Paulo ostium Euangelij adaperuit &c. Hinc & Bernardus exhortationem instituit: Fratres, inquit, nolite dubitare de oratione vestra: sed scitote, Quando verbum per os erumpit, tunc oratio vestra scripta est in oculis Dei, & aut fiet quod petitur, aut expedit non fieri.

Etsi autem interdum liberationem differt Deus, nec ad voluntatem nostram confestim exaudit, quò nos nostramq; fidem exerceat: Quando tamen feruidè & continenter inuocamus, & assidue precibus instamus, si non ad voluntatem, ad vtilitatem & salutem ita exaudit, vt eximium tandem gratiæ diuinæ sensum in corde percipiamus. Matth. 15. v. 28. Luc. 11. v. 9. & 18. v. 7. Ioh. 16. v. 24.

Hac proinde consolatione, languidas & tristes mentes nostras semper erigamus, & fidem in cruce & miseria fluctuantem confirmemus, verè statuentes

nos

nos curæ Deo esse, gemitus nostros ab illo exaudiri, & ipsum in medijs calamitatibus & pœnis, quas peccatis nostris meruimus, suæ bonitatis non obliuisci, quo minus nobis adsit, & efficaciter tandem liberet, Esai. 49. v. 14. Psal. 34. v. 18. Clamauerunt & Dominus audiuit & ex omnibus angustijs illorũ liberauit eos

Et glorificabis me.

QVinta & vltima circumstantia ostendit præcipuum finem liberationis esse sanctificationem & celebrationem nominis diuini: vt videlicet ei, à quo beneficium accepimus, cum lætitia & exultatione gloriam tribuamus, memoriã eius perpetuò retineamus, & datorem iugi voce & laudibus deprædicemus & celebremus.

Extat apud Ezechielem Cap. 46. v. 9. mandatum Domini, vt qui templum Salomonis ingrediebantur, per aliam portam egrederentur, ne propitiatorio tergum obuerterent, cum è templo exirent: Quod fiebat si per eandem portam egrederentur quâ ingressi

fuerant. Quo admonebatur Dei populus, non esse Deo propitiatori per obliuionem terga obuertenda, postquam beneficio aliquo ab ipso affectus esset, ne sua ingratitudine propitiationis gratiam denuó amitteret. Nam vt gratitudo erga Deum, non modo perseuerantiam in bono, sed & ampliora beneficia á Deo quotidiè impetrat: ita eius oppositum, omni gratia & dono Dei, hominem spoliat. Etenim ingrati spes vt pruina & ros in hyeme diffluet, & disperiet tanquam aqua superuacua, Sap 16. v. 29. Vnde Bernhardus Ser. 51. in cant. verè pronunciat dicens: Ingratitudo est ventus exsiccans & vrens fontem bonitatis, rorem misericordiæ, & fluenta gratiæ diuinæ. Eius exempla vide Exod. 32. v. 2. Num. 21. v. 5. & 25. v. 2. &c.

In omnibus igitur nos, qui fidei lumine illustrati ex fonte bonitatis Dei in tribulatione & siti nostra, auxilium & consolationem hausimus, & momentis adhuc singulis haurimus vberrimam, gratitudinem nostram indesinenter declarare studeamus, in omni necessitate ad ipsum confugiamus, & quodcunque facimus aut

verbo

verbo aut opere, in nomine Domini no-
stri Iesu Christi faciamus, gratias semper 1. Tess. 5.
agentes Deo ac Patri per ipsum, cui be- v. 17.
nedictio & gloria, & sapientia, & gra- Apoc. 7.
tiarum actio, & honor & virtus v. 12.
& robur in secula seculo-
rum, Amen.

✝✝✝



CONCIO SE-
CVNDÆ DIEI.

Psalmo 50. à versu 16. vsq; ad finem.



IMpio autem dixit Deus, Quid tibi, vt enarres statuta mea, & aßumas pactum meum in os tuum?

Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti verba mea post te.

Si vides furem, statim curris cum eo: & cum adulteris portio tua est.

Os tuum mittis in malum: & lingua tua concinnat dolum.

Sedes, & contra fratrem tuum loqueris, contra filium matris tuæ das probrum.

Hæc fecisti, & tacui: propterea existimasti quòd eßendo ero sicut tu: sed arguam te, & ordinabo in oculis tuis quicquid fecisti.

Intelligite quæso hoc, qui obliuiscemini Dei: ne forte rapiam, & non sit qui eruat.

Qui sacrificat laudem, honorificabit me: & ponenti viam Dei coram se, ostendam salutem Dei.

Esai. 1. v. 11.



Saiæ 66. v. 3. repræhendit Dominus eos, qui in adolendo thure, & immolandis sacrificijs frequentes erant.

erant: quibus ſe Deum verum colere, eiusq; laudes celebrare profitebantur: interea tamen ab iniquitate non abhorrebant: verum potius ſacrorum obtentu ſibi quiduis pro lubitu licere arbitrabantur. Ideo tales cultus ſine ſinceritate & veritate ſibi exhibitos planè deteſtatur Dominus his verbis: Qui bouem immolat, quaſi qui interficiat virum. Qui mactat pecudem, quaſi qui excerebret canem: Qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuis offerat: qui recordatur thuris benedicit iniquitati. Idem & hoc Pſalmi textu cōtra hypocritas omnium temporū agit Dominus, quòd dum turpiter & flagitioſè vitam ſuam inſtituunt, nec ullum Chriſtiani hominis officiū faciunt: religionis tamen veræ titulo ſeſe palliant, Chriſti meritum ad ſe rapiunt, & facinora ſua fuco externæ ac ſimulatæ pietatis obtegunt: non ſècus ac turpis adultera caſtimoniam ſuam externis geſtibus marito probare cōtendit, animum quamuis & corpus adulterio pollutum habeat.

Quoniā autem talium Pſeudochriſtianorum magna ſeges & numerus penè

infini=

infinitus hodie vbiuis locorũ inuenitur, qui (vt dixi) inani fidei professione turgidi, in verbis quidem omnia pia, sancta & speciosa iactitant: in factis verò ipsorum nihil minus, quàm quod videri volunt deprahenditur: operæ pretium facturos Dei ministros iudicaui, si hac concione cum Psalmista, ipsum Deum acriter tales insectantem introducant, & ipsimet contra vanam & inanem talium pietatem ex verbo Dei fulminent: vt cognito Dei iudicio, cãdidè cum eo in posterum agere discant. Syrach 1. v. 34.

Partes Concionis duæ erunt.

I. Acris reprehensio hypocriseos, seu falsi cultus Dei, expolita enumeratione aliquot enormium delictorũ, quibus se maximè polluunt impij.

II. Comminatio & promissio, quibus ad pœnitentiã omnes inuitãtur.

DE PRIMA.

Impio dicit Dominus, Quare tu enarras statuta mea &c.

Horum

HOrum versuum singula membra separatim excutere nobis proderit, vt constet

1. Quis loquatur.
2. Cui.
3. Quid.

Impio dicit Dominus.

Quò Propheta magis moueat & terreat impios, introducit DEVM ipsum loquentem & acrius incusantem hypocrisin eorum, qui omni interiore cultu vacui, pietati externæ vacant, fictâque sanctimonia, quam oculis Domini obijcere non verentur, gratiam, imò Deum ipsum sibi promereri somniant.

Hæc ita audiamus vt nostra etiam peccata Deo non ignota esse statuamus, & illum nos propterea hodie suo ore alloqui: non modo vt nos ad diligentiorem attentionem excitet, sed & similia vitia in nobis reprælendat, & ad bene posthac agendum occasionem suggerat.

Deinde cum quo negotium sibi sit ostendit, nempe cum Impio. Impium vocat non extraneũ à republica Israelis,

aut

aut alienum à Deo, sed eum, qui cum in societatem Ecclesiæ receptus sit, ita in religione ludit, vt nihil planè veri aut sinceri cogitet vel agat: Esaias cap. 10. v. 6. eiuscemodi homines gentem simulatricem vocat.

Vtitur autem numero singulari Propheta, vt ostendat Deum in mores singulorum hominum inquirere, & vniuersos arguere in specie, qui postquam diuinæ militiæ tesseris insigniti fuerint, in Diaboli nihilominus castris militãt. Vnde & singuli nostrũ monemur: vt in nosmetipsos descendentes scrutemur: anne eiusdẽ mali contagium animos nostros peruaserit, & si tale quid in nobis depræhensum fuerit, ilico remedium adhibeamus, ne ab ipso conuincamur qui gladio oris sui impios iugulabit. Apoc. 2. v. 16.

Tertio, Summam accusationis & statum controuersiæ inter Deum & impios cultores subiungit Propheta, vtque insultet vehementius, interrogatione vtitur, inquiens:

Quare tu enarras statuta mea?
& aßumis verba mea in ore tuo.

Allo-

Alloquitur tam eos, qui summæ
authoritatis inter Iudæos erant, & diui-
nitus doctores populi constituti: quàm
ipsos etiam auditores, qui se populum &
peculium Domini & veros eius cultores
esse gloriabantur. Vtrosq; grauissimè
reprehendit, quod ore & lingua sua
magnificè de statutis ipsius loquebantur,
& beneficia eius deprædicabant: Corde
vero & opere ab omni pietate alienissi-
mi erant: de his prolixè loquitur Apo-
stolus Rom. 2. v. 17. cuius verba huc re-
ferantur. Item ad Tit. 1. v. 16.

Enarras, inquit, statuta mea.

Hoc est legem tibi à me præscrip-
tam, vt omnium actionum tuarum, ve-
luti Cynosura, certissimaq; formandæ
vitæ regula esset, ne vel ad dexteram vel
sinistram declinares, & alijs explicando, &
apud temetipsũ ruminando profiteris: ve-
rùm animum tuum ad eius obseruatio-
nem inflecti non pateris. potius abiecta
hac salutis norma, cœca propriæ carnis
libidine ita seduceris, vt nihil vel in cul-
tu, vel in religione, aut deniq; in tota
vita tua integrũ habeas. Interea tamen
Assu-

Aßumis verba mea in ore tuo, multum de eo garris, deq; vera religione, de doctrina salutis tibi in verbo reuelata gloriaris, loqueris de fœdere meo cum patribus tuis inito, ob quorũ omnium noticiã solam, tibi sanctimoniam & impunitatem polliceris maximam: At nihil habes præter inanem titulum & nudam rei notionem, quæ maiorem tibi pœnam & condemnationem importabit, quàm si nunquam illustratus esses, gustassesq; bonum illud verbum ac virtutes futuri seculi. Heb. 6. v. 5. Luc. 12. v. 17.

Nos hinc monemur magnum & perniciosum errorem esse: quod existimant homines quidquid speciosum & externè sanctum est, Dei oculos perstringere; vtpote adiungere se cœtui piorum, verbum Dẽi in ore habere, sacras ædes frequentare, conciones surda aure & mente sceleribus præoccupata audire, Sacramentis sæpius vti, de religione disputare, orare, ieiunare, se baptizatos esse iactitare, omnemq; sanctimoniam præ se ferre, & somniare tales cultus mereri

reconc

reconciliationem cum Deo, peccatorum remissionem & salutem. Hac opinione falsissima olim Iudæi superstitiosi imbuti erant, Christi tempore Scribæ & Pharisæi, hodie Pontificij & inter nos Pseudeuangelici plurimi, qui se egregiè officio suo perfunctos esse autumant, si nudis ceremonijs inhærentes, pietatem in oculos incurrentem externè declarauerint: quamuis ne minima scintillula pietatis in tota vita ipsorum eluceat. Verùm is, qui renes scrutatur & corda intuetur, vt obedientia pura & vera delectatur, ita omnem simulationem & fucum detestatur. Matth. 15. v. 9.

Falsa proinde omnis religio, inanis fidei iactantia, vanæ preces & quidquid in rebus diuinis facere præsumunt homines, in irritum sua sponte cadit: nisi vitam sceleratam, timorisq; Dei expertem ad præscriptum verbi diuini emendauerint, & quod bonum fuerit in oculis Domini fecerint. Ier. 7. v. 4. Esa. 29.. v. 13. Matth. 7. v. 21. Matth. 15. v. 9. Iac. 1. v. 22.

Verumenimuero vt magis adhuc de-

tegat hypocritarum mores, & quâm alienos à vera pietate eos esse demonstret, inque viam veritatis facilius reducat: enumerat Psalmista aliquot vitia, sub quibus omnium scelerum Lærnam & sentinam comprahendit: & initio quidem disciplinæ abiectionem, quòd nullis admonitionibus sese corrigi passi fuerint, ipsis obijcit tanquam κύριον αἴτιον & primam defectionis causam, dicens:

1. *Odisti disciplinam.*

Hoc est, quamuis à me satis superque verbis & correptione admonitus es: tamen sincero corde & docili animo disciplinam non recepisti, neque peccata tua vnquam ita detestatus es, vt mores facinorosos in melius mutares, & placidè iudicium meum ferendo, veniam supplex peteres: Sed cùm corrigeris, fremis aduersum me, nec à quoquam admoneri vis, omnem in uniuersum disciplinam, ruptis legum repagulis, abijcis, eosque odio immani & exitiali, qui scelera tua paternè corripiunt, persequeris. Amos 5. v. 10. Oderunt

cor

correptionem in porta, & rectè loquentem abominantur. Ioh. 15. v. 24. Viderunt me, & oderunt & me & patrem meum.

Quemadmodum igitur principium pietatis & virtutis mater est obedientia fidei: ita disciplinam odisse, primus ad interitum gradus est, & extremæ corruptionis argumentum, á quo vt nobis caueamus, requirit non modo Dei mandatum, sed & ipsa salus nostra.

2. *Proijcis verba mea post te.*

Alterum peccatum prioris effectus, quo exaggerat impietatis magnitudinem: quód non modo disciplinam odio habuerint: sed & Dei verbum & veritatem ita abiecerint, vt ne quidem eam audire aut ferre voluerint, nedum inde emendari. Molesta etenim semper est verbi diuini prædicatio ijs, qui iugum timoris Domini excutiunt: eo quòd liberius mores ipsorũ iniquos & studia peruersa corripiat, atq; laruam iniquitati detrahat. Amara (inquit Lactantius) sunt vitiosis & malè viuentibus præcepta iustitiæ. Quo fit vt quemadmodum mor-

dacitas nitri augetur affusione aceti, Prouerb. 25. v. 20. Et si candenti ferro aquam aspergas, magis ferueſcit & induratur: ita Dei verbum impiorum animis affusum, nouos furores prouocat, quibus illi in sceleribus rabiosiores & obstinatiores redduntur, cuius euidens signum est, quod non modò salutis doctrinam scurriliter rideant, sed & pertinaciter abijciant, pronunciantes quod est, Ier. 44. v. 16. Verbum Domini, quod locutus es nobis in nomine Domini non recipiemus, sed faciemus quidquid exit ex ore nostro.

Huius querelæ veritatem, si vnquam aliâs, nunc sanè maximè hoc flagitioso seculo experiuntur pij verbi Dei ministri, qui tamē potiorem rationē muneris sui habebunt, quàm ingratitudinis mundi, ne frangantur animis aut officium deserant: sed pia patientia malis istis obluctentur, vindictā Deo committentes.

Auditores verbi, si suæ saluti bene consultum volunt, discant verbo Dei parêre, paternis ipsius correptionibus cedere, piorum ministrorum cohorta-

tionibus

tionibus locum dare, & dum lucem habent in luce ambulare: ne seipsos tanto thesauro spolient, & sibi ipsis condemnationis autores sient.

Si videbas furem currebas cum illo.

Pergit accusando Dominus, & ad specialiora descendit flagitia, quæ in iisdem sub sanctimoniæ prætextu latebant: vt ostendat tales verbi contemtores, se in omnem turpitudinem absque vllo delectu proiicere.

Currere cum fure est se facinoris socium eidem adiungere, eius moribus delectari, in malis consentire, & eius studia approbare.

Non simpliciter fures vocat, sed eos cum furibus currere dicit, sicut etiam Esaias cap. 1. v. 23. socios furum appellat: vt ostendat se non modò de manifestis furibus, qui res alienas, inuitis Dominis, auferunt: sed & de iis, qui occultis illicitisque artibus, fraudibus, imposturis, rapinis, iniustis mensuris & ponderibus, vsura, simonia & Similibus, bona proximi ad se rapiunt, & manus fraudulentas vel

violentas in res alienas iniiciunt. O quantus numerus talium δημοβόρων, δωροφάγων, eruscatorum, impostorum & similium Harpyarum, tam inter superiores quam inferiores vbiuis locorum hodie inuenitur, qui absq; omni misericordia proximum expilant, diripiunt, excoriant, & (vt Micheas loquitur) ossa eius frangunt ac deuorant. Interea tamen iustitiæ & æquitatis strenui cultores haberi volunt & esse. Matth. 23. v. 25. Quod deforis est calicis & catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate.

Mich 3. v. 3.

Nos igitur obtemperantes mandato Apostoli 1. Thessal. 5. v. 22. ab omni specie mali abstineamus: & in dictis veritatem, in factis æquitatem, in tota vita integritatem cum innocua simplicitate coniunctam seruare studeamus.

Et cum adulteris portio tua.

Quartò, impuritatem animi & abominandas libidines, in falsò piis repræhendit Dominus: quòd dum externè sancti esse volunt, corpus tamen & animum

mum tanquam nobile prostibulum Sathanæ & omnis nequitiæ atq; impuritatis lacunam, prostituunt.

Multi sanè eodem se apud nos hodie non modo inuoluunt crimine: sed & admoniti, illud cum risu excipiunt, & vix pro peccato habent: cum tamen Deus tales è regni sui consortio penitus excludat, Gal 5 v, 21 & à veris suis cultoribus omnem tam animi quàm corporis puritatem & sanctitatem requirat, Etenim non vocauit nos Deus ad impuritatem, sed sanctificationem, sine qua nemo videbit eum. Matth. 5.v.8. Leu.19.v.2.

Sciat igitur nostrum vnusquisq; vas suum possidere cum sanctificatione & honore, & mortificare membra nostra terrestria, scortationem, impuritatem, malitiam, cupiditatem malam. 1. Theſſ. 4.v.4. Coloſſ 3.v.5. Gal.5.v.19. Heb, 13. V. 4.

Os tuum emittit malum, & lingua tua concinnat dolū, contra fratrem tuum loqueris, & contra filium matris tuæ statuis probrum.

QVintò, execranda oris vitia & linguæ peccata, octauo Præcepto Decalogi prohibita inſectatur. Quàm autem latè pateat hoc oris vitium, vix ore efferri poteſt; adeò enim inter omnes inualuit, vt non modo ſcurræ, hiſtriones, aulici, milites, & eius farrinæ homines, leuiſsimi: ſed & omnes vtriuſq; ſexus & cuiuſcunq; ætatis & ordinis homines nō vereantur in Deū & proximū, momentis ferè ſingulis fœdo ore euomere, periuria ad ſtabilienda mendacia, iuramenta, in quibus nomen Dei ad res penè quaſuis temerè & ſine neceſsitate cum eiuſdem profanatione vſurpatur, diras execrationes, clandeſtinas obtrectationes, mendacia & ſermones fictos ac noxios, vel palam excitatos, vel clam ſuggeſtos. *Lingua* (inquit) *tua concinnat dolum*, hoc eſt, non lædis aperto ictu, ſed clam & in occulto fraudes, fucos, praua conſilia, falſas criminationes, quæ ſuppeditat ſceleratus animus, vafrè connectis & concinnas: vt proximo perniciem adferas. Quinimo adeò petulanter æſtuat lingua tua diris, maledicen-

tia

ia & conuitiorum colluuie virulentissi‑ma, vt á propriis fratribus germanis vel vterinis, & propinquis coniunctissi‑mis non abstineat, quin & eos probris deformet & opprimat. Psal. 14. v 3. Psal. 5. v 10. Psal. 52. v. 3. Rom. 1 v. 30. cap 3. v. 13. Sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis ad dolum vsi sunt, venenum aspidum sub linguis eorũ, quorum os diris & amarulentia plenum est. &c. Exempla 2. Sam. 16. v. 5 7. Simei cõ‑tra Dauidem. Iudæi contra Christũ, Luc. 11. v. 15. Ioh. 8. v. 48. & Act. 6. v. 13 contra Stephanum.

Quia igitur linguæ procliues lapsus, discamus capistro frenare oris nostri pe‑tulanciam, & impetus animi cohibere, ne erumpant in sermones impios, spur‑cos aut noxios, quibus sanctissimũ Dei nomen inter nos profanatur, & proxi‑mus læditur: Perdit enim Deus omnes, qui loquuntur mendacium. Psal. 5. v. 7. Psal. 140. v. 12. Exod. 20. v. 7.

In horum autem omnium, quæ de hy‑pocritarum moribus nunc dicta sunt, cõ‑sideratione, nobis sic versandum erit: vt

eadem scelera nobis quoque exitio fore statuamus, fictamque & sub fallaci religionis specie ementitam pietatem, interiores animi maculas nequaquam tollere: Sed vehementius nos coram Deo (testimoniũ ferente ipsamet cõscientia nostra) arguere, si ijs post hac (verbo Dei spreto paternisque cohortationibus ministrorũ abiectis) indulserimus. Ac propterea in primis tam peccatorũ turpitudine, ac fucatæ sanctimoniæ vanitate deterriti: quàm honoris diuini, nostræque salutis ratione inuitati, nos metipsos ad sinceram morũ emendationem & deprecationem mali exuscitemus, inque vera humilitate agnitis næuis & morbis nostris, quæramus medicum, qui soluto peccati nexu animam nostram iniquitatis sanie suppuratam, sanguine suo obliget & sanet.

DE SECUNDO LOCO

Hæc fecisti & tacui: existimasti quod eßem similis tui, coarguam te & ordinabo coram oculis tuis.

HIc locus tribus postremis versibus comprahensus, tria membra continet.

Comminationem. 2 Cohortatio-
nem. 3. Promissionem.

1. *Hæc fecisti & tacui &c.*

Comminatio est, in qua duo sunt. 1. Exaggeratio securitatis. 2. denunciatio pœnæ.

Primum enim vesaniã & securitatem illorum reprædendit qui ita insaniebãt, vt omnem Deo sensũ & intellectum adimerent, ac si ad nefaria illorum opera prorsus obstupesceret, quinimo ac si similis ijs esset & maleficijs illorũ delectaretur: eò quod taceret, hoc est, pœnam differret, nec statim supplicium de ijs sumeret. Sensus igitur verborum est ideo me ignorare scelera tua iudicas, quod nõ licò ad malitiã ac pertinaciam tuã tibi respondeam, & eam debitis pœnis retũlam: sed quia ex longanimitate mea & abundante gratia aliquamdiu taceo & tolero impietatem tuã: vt erga te bonitatis meæ amplitudinem declarem, & te ad pœnitentiã ferendo & expectando invitem. Ideo me tui similẽ esse iudicas, nec ullam peccatorum tuorum rationem habere: verũ potius tua mihi voluptati esse

ſcelera, & eorundem me forè patronum existimas, propterea ſuo tempore *coarguam te, & ponam ante oculos tuos.* Pœnam his verbis indicat, quæ duplex erit.

1. Cruciatus & 2. Ignominia.

Primum ita ſe in illum animaduerſurum dicit, vt iuſtiſsimas pœnas peccatis debitas (etiamſi aliquamdiu differantur) de eo ſumturus ſit: quò tandem in animo & corpore experiatur cruciátus diriſsimos. Verbũ enim Arguere apud Hebræos quando Deo tribuitur, ſignificat grauiſsima caſtigatione & pœnis diris, ſine miſericordia affligere, atq; vindictam de aliquo ſumere extremã, vt in Pſal. 6. v. 1. Hæc prima erit pœna, de altera *ſic* loquitur: *Statuam ante oculos tuos,* ſcilicet peccata & flagitia tua enormia, quæ in hac vita tegere & occultare conatus es; vt tandem meam patientiam & ſeueram iuſticiam cogaris agnoſcere, atq; temetipſum malitiæ & impietatis, ſummo cum pudore tui condemnare. Idq; in foro conſcientiæ tuæ, & in iudicio meo; tum enim proferam omnium

ſcelerum

ſcelerum tuorum codicem ac catalogũ, tumq; aperientur libri magni, & iudicaberis ex ijs, quæ ſcripta ſunt in libris ſecundum opera tua. Apoc. 20. v. 12. Eſai. 66. v. 29. Matth. 12. v. 2. Apoc. 3. v. 18.

Admonentur illi, qui nimia ſecuritatẽ abſq; omni reſipiſcentia in flagitijs pergunt, quaſi nihil ſit apud Deum periculi, ſe nequaquam eius oculos fallere, aut vindictam euadere poſſe: ſed ipſum tacitè pœnas parare contumaciter delinquentibus, & quò ſeriùs, eò ſeuerius vitia illorum damno, ignominia, morbis, morte ac tandem æternis cruciatibus in abyſſo mulctare. Ne autem hæc ipſis eueniant, conſilium dat Spiritus ſanctus, dicens:

Intelligite hoc qui obliuiſcimini Dei, ne fortè rapiat, & non ſit qui eripiat.

SEcundum membrum huius loci inſtituit blandam inuitationem, & paternã cohortationem ad eos, qui obliti ſunt Dei, id eſt, qui rebus huius mundi &

di & affectibus carnis dementati abiecerunt omnem Dei memoriam & vniuersum pietatis studiũ, vt ad saniorem mentem redeant, ferocire & petulanter aduersari desinant, nec amplius patiãtur se abduci falsa intelligentiæ persuasione de carnali & externa operũ iusticia, sed deposita ignorantia & cõtumacia, abiectoq; peccandi proposito, præbeant se Deo dociles: dumq; adhuc tempus miserendi est, confugiant ad thronum gratiæ, quó misericordiã & amplam indulgentiã, quã etiam ijs qui in nefanda scelera proiecti sunt promittit, consequantur: ne cum aduenerit tempus illud exerendæ iusticiæ, eos rapiat; scilicet ad horrenda supplicia, non secus ac bestia truculentissima irritata magno & implacabili impetu in occurrentes seuit, eosq; lacerat & dilaniat: Ita in vos (inquit Dominus) irruã, nec desinam priusquam penitus perdam vos, neq; erit qui de manu mea eripiat. Iob. 10. v. 7.

Vult itaq; Deus hac locutione frangere nostram ferociam, qui minas & admonitiones secure contemnimus, &

& monstrare, rectum sapiendi initium esse: vt deposita contumacia & abiecto peccandi studio, Christi imperio nos addicamus & misericordiam petamus, quâ accepta studeamus placere ei vera animi humilitate & morum integritate.

Secundò admonere vult, se admodũ crudelem fore ijs, qui proteruiunt in peccatis, & sine fine ac modo pergunt in iniquitate contra conscientiam, Tunc enim quasi à natura sua discedens, induet alienam personam & ferarum more cruentis ac diris flagellis puniet. Nam vt sua natura clemens est & benignus erga bonos: ita irritatus, impijs vindex & vltor manet implacabilis. Esa: 30 v. 27.

Tertio docere, quàm nulla sit hominum & omnium creaturarum in cœlo vel in terra potentia, si cum Dei insuperabili rigore conferatur. Esa: 38. v. 13. Ideoq; humiliemur sub potenti manu ipsius, nec sinamus tempus hoc, quo lenitatem suam offert & exercet perperam effluere cum fatuis illis virginibus. Matth. 25. v. 5. Sed dum inueniri potest ipsum quæramus. Esai. 55. v. 6.

Sacrificans

VLtimus versus tertium membrum continet, promissionem videlicet ad pios directam, in qua primùm sacrificia laudis in fide & confessione Christi exhibita, & gratiarum actionem quæ ipsi læto animo pro beneficijs offertur, sibi fore gratissima Deus testatur. Sanctū etiam vitæ studium ad amussim legis suæ (quoad eius in hac nostra imbecillitate fieri potest) conformatum, sibi probari indicat.

Deinde vt magis ad illa præstanda nos moueat & exstimulet, præmiū promittit, salutem & summam felicitatem: cuius gustum, pacem scilicet & tranquillitatem conscientiæ acquiescentis in ipsius misericordia & bonitate, pijs in hac vita communicabit, & in futura tandem plenam ac perfectam eiusdem fruitionem donabit. Eius vt & nos participes faciat æternus Pater propter Christum, intimis cordis nostri suspirijs rogamus, Amen.



CONCIO TERTIÆ DIEI.

Psal. 37. v. 3.


Pera in Domino, & fac bonum, inhabita terram, & victũ quære honestè.

Et delecta te in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.

Volue super Dominum curam tuam & spera in eo, & ipse faciet:

Et educet sicut lumen, iusticiam tuã: & indicia tua sicut meridiem.


ùm superiore sermone dictum sit, eos, qui sub pietatis prætextu vitam agunt sceleratam, non modo post regenerationem degeneres, ad resipiscentiam desipientes, ad reformationem malè formatos, ad inuocationem ineptos, & ad omne opus bonum

inutiles: sed & illos omnem operam & oleum in salutis negotio perdere, ac tandem in manus seueri vindicis Dei incidere, cui proteruiæ & simulationis suæ pœnas dabunt, absq; omni misericordia, iustissimas: nî tempestiuè ad saniorē mentem reuersi & ad Deum conuersi, inclinent animos ad faciendum statuta eius: Psalm. 119. v. 112. Quocirca vt nos Deo præsente & propitio semper fruamur, ea præstare necesse habemus, quæ in exordio monuimus: vt videlicet, abiecta omni impietate, Deo in posterum offeramus, in externa ara corporis, membra nostra hostiam viuam, sanctam, rationalem & acceptam, nosq; totos in eius obsequium tradamus: quo ipsi placeamus, in eius gratia maneamus, atq; à peccato liberati Deo autem mancipati, fructum nostrum in sanctimoniam, finem autem vitam æternam habeamus. Ad quod præstandū vt excitemur diligentius, proponam hac concione ex Psalmo 37. salutaria quædā præcepta, in quibus veluti συνόψει & breui tabella, omnis vitæ bene beatèq; instituendæ ratio traditur. Illa autem hoc ordine à Dauide, Psalmo citato, enumerantur.

I. Spera

1. Spera in Domino.
2. Fac bonitatem.
3. Inhabita terram.
4. Victum quære honestè.
5. Delectare in Domino.
6. Reuela Domino viam, & spera in eo.

His adduntur dulcissimæ & amplissimæ promissiones sparsim hoc toto Psalmo expressæ.

Spera in Domino.

PRima vitæ salutariter instituendæ regula, & omnis felicitatis fundamentum ac basis, est, spem omnem in Deo collocare.

Verbo sperandi complectitur Dauid fidem, timorem Dei, & totum cultum diuinum: propter summam enim coniunctionem spei cum fide, alterum sæpe pro altero ponitur.

Quando autem de fide loquitur, meminisse oportet, Psalmistam non de opinione aut persuasione otiosa & inani agere: Sed de tali fiducia, quæ relictis omnibus carnis & mundi præsidijs, firmiter Deo in rebus omnibus, secundis & aduersis adhæret, tota in Christum

ſtum recumbit, nec vnquam ab eo deſi-
cit, aut de ipſius præſentia & auxilio du-
bitat: etiamſi magnam ſæpe videat re-
rũ confuſionem, in qua mali, qui abiecto
omni timore Dei, ſceleribus indulgent,
ſucceſſus habent felices, florent opibus,
potentia, & in ſinum ſuum ſemper ri-
dent: pijs verò ſecus plurima eueniunt,
dum illi calamitatibus inuoluantur, &
aduerſitatibus plurimis premantur: qui
tamen interea quieti manent, patienter
expectantes, cùm deploratæ exundan-
tisq; malitiæ exitum, tum ſuam ipſius
liberationem, quâ aliquando in liberta-
tem filiorum Dei vindicentur, deturba-
tis præcipitatisq; in infernum impijs.

Per hanc igitur & nos, animis paca-
tis & tranquillis, in Dei verbo acquieſca-
mus, nos totos timore filiali ei ſubijcia-
mus, ab ipſo vno, repreſsis omnibus car-
nis affectibus, pendeamus, & quo deniq;
cunq; modo res noſtræ cadant, ſemper
in Dei voluntatem reſpiciamus, promiſ-
ſis eius fidamus, moram & dilationem
ferendo expectãdoq; vincamus. Ita fiet,
vt hac fiducia nixi, ſpe nunquam fruſtre-
mur: Sed quidquid de Dei bonitate &
affectu

affectu erga nos animo concepimus, verissimè suo tempore experiamur Psal 31. v. 1. Psal. 17. v. 7.

2. Regula *Fac bonum.*

Quia fides non in otiosa (vt dixi) cordis affectione, aut inani contemplatione consistit: sed totum hominem in obsequium Dei vindicat, seq; operibus exerit, & vt Paulus loquitur: per charitatem operatur. Ideo statim fidei, a qua initium fecit, bene operandi studium adiungit, tanquam eius inseparabile effectum: sine quo nulla vera in Deum fiducia esse aut dici potest: Etenim Iacobo teste cap 2 v 17. Sine operibus per se mortua est fides. Ideo etiam sæpissime inculcatur hoc præceptum in Scriptura, vt sciamus vanam & inanem esse omnẽ fiduciam, quæ piorum operum testimonio & τεκμηρίῳ comprobata non fuerit. Psalm. 34. v. 15. Declina à malo, & fac bonum. Hoc eodem Psalmo v. 27. Esai. 1. v. 16. Amos 5. v. 14. Matth. 3. v. 8. & passim alibi.

Facere itaq; bonum, est & velle & summo studio conari bene operari,

iuxta verbum Dei, ad gloriam eius: etenim solum id bonum dicitur, quod ipsius voluntati conuenit, quam in verbo reuelauit: contra verò malum, quod ab ea dissentit. Complectitur autem hoc præceptum quatuor:

1. Desiderium plenæ renouationis à malo.

2. Zelum in diligendo Deum & proximum, in amplectendis diuinis præceptis & vitandis lapsibus contra conscientiam.

3. Studium & exercitationem: vt non modo docti & diserti simus in eo, quod bonum est; sed in actum producamus, quæ iusta, recta, Deo grata, proximo vtilia, & nobisipsis salutaria ex Dei verbo nouimus. Qui enim nouit recta facere & non facit, hic peccato tenetur. Iacobi 4. v. 17. Item cap. 1. v. 22.

4. Perseuerantiam in bono opere, ne deficiamus vel segnescamus. Sũt enim, Gal. 6. v. 9. qui bene quidem incipiunt in fide, religione, pietate, & vitæ sanctæ atq; honestæ studio: sed non longè progressi, prauis & illicitis carnis & mundi desiderijs

succum-

succumbentes deficiunt. Luc. 9. v. 62. Gal. 6. v. 10. Ideo eos solùm beatos pronunciat Christus, qui in finem vsq; sustinuerint. Matth 24. v. 13.

Operemur igitur bene erga omnes, dum tempus habemus, dùmq; bene agendi facultates atq; occasiones nobis offeruntur diuinitus, ijs ita vtamur, vt in hoc studio indies proficiamus, & maiores subinde progressus faciamus, atq; ita animum in bono obfirmèmus, vt nullis obstaculis impediti, ad extremum vsq; perseueremus. Apoc. 2. v. 26.

3. *Inhabita terram.*

Non sine gemitu, experientia magistra, videmus eos sæpissime, qui veræ pietati student maximè, varijs aduersitatibus in hac vita implicari: impijs interea fortunâ secundâ, opibus honoribus, potentia affluentibus. Luc. 16. v. 25. Iohan. 16. v. 20. quæ species externa adeo turbat mentes hominũ, vt cogitent se Deo curæ non esse, & cum dolores istos ferre æquo animo nequeant, deserunt stationem suã, relinquunt domum, coniuges, liberos, & subinde mutant genus vitæ: quidam

etiam doloribus fracti, vitam sibi abrumpunt: sunt etiam qui suis merentur flagitijs, vt relictis patrijs laribus exulare & incertis sedibus vagari cogantur. Ideo præceptum hoc infert Psalmista, de non relinquenda vocatione propter res aduersas, nec promerendo sceleribus exilio: sed vt quiete incolentes terram, in officio vocationis constanter maneant, honestè viuant, & illatas ab ingrato mundo molestias patienter ferant. Hæc &

Esaiæ 16. v. 11.

nostræ deseruiunt institutioni, & monent ne vel ipsi temerè deseramus vocationem nostram, neue Deo flagitijs nostris (quæ plerumque causa sunt mutationis politiarum, belli, exilij, cædis & aliarum calamitatum) occasionem præbeamus, vt nos sedibus nostris pellat: sicut olim populus Israëliticus propter atrocitatem delictorum, primùm in Assyriam á Salmanasare, postea in captiuitatem Babel deportatus, integris 70. annis à dulcissima patria exulare, & plurimas aduersitates perpeti cogebatur. Et hodie Christianorum plurimi, propter iniquitatem (præcipuè in colliminijs Turcicis, & in regnis pontificijs) ab

hoſtibus immaniſsimis & impijſsimis, fa-
cultatibus exuti, & domibus excuſsi, in
locis horridis vagantur, & de vita peri-
clitantur. Quorum triſtia exempla, nos
mouere & monere debent, vt ita vitam
inſtituamus noſtram, ne Dei vindictam
in nos prouocemus: ſed quemadmodum
almâ hactenus pace & tranquillitate frui
benignè nobis à Deo conceſſum fuerit:
ita deinceps operam demus, vt idem
protector noſter nos paſsis alis foueat &
defendat, à nobis & vniuerſa patria
noſtra, ab aris & focis, bella, ſeditiones,
ſtrepitus armorum, hoſtiles incurſiones,
& omnia pericula clementer auertat, ne
vnquam hoſtibus noſtris præda fiamus.

4. *Et victum quære honeſtè.*

Quid interea dum in terra habitant, agendum pijs ſit, quarto hoc mandato ſubindicat. Ac primùm verbo Quæ-rendi diligentiam in vocatione efflagi-tat, ne ignauo otio torpentes ſupini & ſocordes deſideant, aut delicijs & volu-ptatibus diffluentes, tanquam ἑκούσιον ἄχθος ἀρούρης fruges conſumant, & aliorum labores deuorent: ſed in ſudore

vultus vescentur pane suo, & propriorum manuū labores manducent, operando quod bonum est. vt Paulus hortatur, Eph. 4. v. 28.

2. Deinde modum acquirendi vitæ necessaria præscribit: non enim vult, vt malis artibus (quod Dominus heri in impijs grauissimè reprehendebat) panem lucrentur, aut iniustas opes coaceruent: Sed honestè, hoc est, iustis & licitis medijs, exercendo artes vtiles & honestas victum acquirant, operas vocationis iuxta Dei mandatum facientes.

Magna quidem molestia hodiè obijcitur ijs, qui vel terra vel mari vitæ necessaria honeste acquirere contendūt, qui quamuis strenuè operi insudant: habent tamen panem arctum & aquam modicam. Esa. 30. v. 20. vt vix tenuissimo victu, se & suos sustentare queant. Multi frustrantur omni laborum & studiorum suorum spe: seminatur iuxta comminationem Haggæi. cap. 1. v. 6. multum, & parum metitur; annus pol-

licetur

licetur proventum vberrimum, eius tamen spes fallit sæpissime: quod vel hoc anno experti sunt plurimi, maximè agricolæ, qui ex multis manipulis, parum admodum frumenti excuti quiritantur: defectus est pastuum syluestrium, piscium maris, animalium & rerum aliarum necessariarum, Soph. 1. v. 3. vidimus etiam toto hoc semestri cœlum, apertis veluti cataractis, pluuijs ferè continuis inundantem mundi malitiam, quasi lachrymis deflere, & mala euentura (quæ Deus pro sua paterna bonitate clementer avertat) denunciare. Hinc multi, maxime quos insaturata vexat habendi cupido, vel desperant de diuino auxilio: vel iniquis artibus sibi suisq; prospicere volentes, aliorum fortunis iniuste insidiantur, proximum dolis circumveniunt, & opprimunt in negotio fratres suos. Leuit: 19. v. 36. Deut: 25. v. 13. Prouerb. 11. v. 1. & 20. v. 10. Vbi verò opulentiores facti fuerint, dumq; rebus necessarijs abundare ceperint ijs ad fastum, luxum, ebrietatem, beluinas

Esa. 19. vers. 7. Mich. 6. vers. 15. Ezech. 14. vers. 13.

volup-

voluptates abutuntur, & quæ egenis fratribus, iuxta charitatis regulam communicanda essent, prodigalitate abligurriunt. Luc. 16. v. 19. Quid ergo mirum si nobis necessaria subducat Deus? si egestate & penuria nos mulctet? Si denique alijs cladibus nos attenuet? & benedictionem suam nobis prorsus auferat? quò sublatis malorum irritamentis, petulantiam nostram frenet & frangat. Esai. 3. v. 1. Threno. 1. v. 11.

Nos proinde salutari hoc præcepto morē gerentes, opera vocationis in fide & invocatione faciamus sedulo sine dolo, & Dei paternæ curæ nos committentes, in illum speremus qui die famis saturabit nos, nostris benedicet laboribus, nec vnquam sua ope & consolatione destituet in se sperantes, Psal. 4. v. 8. Psal. 34. v. 11. Hac persuasione nos in varijs difficultatibus ærumnosæ vitæ huius sustentemus, & caueamus ante omnia, ne nostra ingratitudine, intemperantia & donorum Dei abusu, bonitatis ipsius fontem obstruamus, & nosmetipsos & alios, benedictione diuina priuemus.

5. De

5. Delectare in Domino.

Quinta bene beatéq; viuendi re-
gula docet, vt in promißionum diuina-
rum, & beneficiorum consideratione &
contemplatione sic versemur, vt agnita
bonitate & sapientia Dei, in illo solo
tánquam cœlesti & summo bono (vani-
tatibus mundi contemtis) acquiescamus,
omnes nostras in ipso delicias & oblecta-
tiones quæramus, atq; eius erga nos affe-
ctionem, gratam & acceptam semper ha-
beamus, etiamsi pericula vndiq; circum-
stent maxima.

Ne autem hinc delectationem aliquã
carnalem animo concipiamus, causam &
materiam eius in Domino esse dicit cum
Apostolo, Philip. 3. v. 1. & cap. 4. v. 4.
Illud etenim gaudium, quo huius seculi
filij, voluptatibus, honoribus, diuitijs af-
fluentes, gaudent, euanidum, incertum
& plerumq; cum luctu ac dolore acer- Prouerb.
bißimo coniunctum: hoc veró vnicum 14. v. 13.
solidum, verum & diuturnum manet.
Iam qui in Domino delectantur, hi, vt
cœlestia cogitant, cœlestia appetunt, &
ad cœlestia (rebus terrenis despectis) fe-
stinant:

ſtinant: ita rurſum Dominus ſe totum illis effundit, & lætitiam in ſpiritu ſancto communicat, quo gratiæ & bonitatis eius guſtu recreati, inter medias tribulationes lætentur & exultent, ſcientes quod afflictio patientiam efficit, patientia experientiam, experientia ſpem, ſpes verò non pudefacit, quoniam charitas Dei effuſa eſt in cordibus eorum per ſpiritum ſanctum Rom 5. v. 4. Pſal. 4. v. 8. Dediſti lætitiam cordi meo, dum alij vino & muſto abundant.

Quoad igitur nobis vitæ rerumque præſentium vſura conceditur, timore ac reuerentia Dei, gaudium noſtrum circumſcribamus, ne impuris carnis & mundi illecebris irretiti, in licentiam & delectationem erumpat damnabilem, huncque in omnibus actionibus ſcopum nobis proponamus, vt nos Deo placeamus, & ipſe nobis placeat.

6 *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo.*

Quia mens humana in denſiſsimis ſæpe verſatur tenebris, & rebus ſic implicatur dubijs, vt quid agere debeat, quoue

quoue ſe vertat, aut quis futurus ſit re-
rum exitus, vix videat: præcipit Pſal-
miſta ſexto & vltimo hoc mandato, vt
in talibus anguſtijs Deo Viam, hoc eſt,
vitæ noſtræ inſtitutum reuelemus, & cu-
ram noſtram in illum deuoluentes, ipſi
conſilia, actiones, deliberationes aperia-
mus, noſtraſq; cogitationes in eius ſinum
effundamus, qui in omnibus poſsit & ve-
lit nobis optima conſulere. Haud igitur
temerè aut ſine ipſo quidquam aggredi-
amur: opus verò noſtrum piè aggreſsi,
indefeſſè (eius freti auxilio) progredia-
mur, in illum euentus omnes reijciamus,
noſtraq; vota (ſi moram fecerit) ſperan-
do & expectando, ſuſpendamus, donec
ſapientiſsimi huius Dei noſtri oportu-
nitas patefacta fuerit: cum fiducia in-
terea precantes, vt pro ſua prouiden-
tia & bonitate, dirigat, diſponat, & ad
ſalutarem optatumq; finem, omnia no-
ſtra perducat. Sic Ioſeph duriſsimo car-
ceri impactus, volvit curam ſuam in
Dominum, & animo placido ei obſe-
quens, liberationem & opem expectat,
quam tandem (eius tanquam è tenebris
eruta innocentia) conſequitur, & ad
ſummos

ſummos honores euehitur. Iacob ſeruiens impio Laban, vitæ fortunæq; euentum in hunc Deum reijcit, & obdurat cum fiducia, tandem à Domino locupletatus, vberrimum percipit é pietate ſua fructum, inuito auunculo. Idem occurrens fratri Eſau, vitæ eius inſidianti, ſperando & inuocando periculo eximitur. Gen. 32, v. 9. Ieſabel ſatellites ſuos emittit raptum Eliam ad ſupplicium, Propheta interea faciens officium, & euentum Deo committens, ſaluus euadit. Similiter Dauid, Suſanna, Eſther, Mardochæus & alij.

Hæc ſunt vitæ piæ ac ſanctæ exercitia, qui his ſtudent ſeriò, eos benignè reſpiciet Deus, ipſos iuuabit & proſperabit, afflictiones eorum mitigabit, & tandem in Chriſto æternæ vitæ gaudia illis præſtabit, iuxta promiſsiones multiplices, & magnificas paſsim per totũ hunc Pſalmum interpolitas & inſperſas, quales ſunt hæ: Ipſe dabit tibi petitiones cordis tui: ipſe faciet: ipſe deducet tanquam lumen iuſticiam tuam: ipſe confirmabit iuſtos, nec deſeret ſan-

ctos,

ctos, iuſti hæreditabunt terram & delectabuntur in ea: non confundentur in die malo, in die famis ſaturabuntur. Item, Dominus ipſe aderit eis, eripiet eos, ſaluabit eos, quia ſperauerunt in eo. & ſimilia promiſſa, quæ pijs omnibus perpetuò ante oculos verſari debent: vt ſciant quo ipſis in calamitatibus confugiendum ſit, quem inuocare, quid impetrare, quid conſolationis ab illo expectare, & quomodo ijdem viciſsim in huius lubricæ vitæ curriculo dignè verſari debeant: vt ſtudijs pijs ac bonis firmiter religioſeq; inſiſtentes, vitã omnem iuxta ipſius voluntatem inſtituant, traducant, finiant: & ſic olim in regno Chriſti æternæ beatitudinis hæreditate fruantur perpetuò, ad quam Spiritus ille cœleſtis, ſuo auxilio & ductu, nos omnes & ſingulos clementer perducere dignetur: cui cum Patre & Filio ſit benedictio, gloria & poteſtas in ſecula. Amen.

CORRIGE

A 3. linea 21. pro ſuſcipiet lege ſuſcipiat. pro iuuabit lege iuuet. pro excitabit, excitet. pro aſſeret, Aſſerat.

LECTIONES ET PRE-
cationes singulis diebus recitandæ.

Prima die Textus concionis loco Epi-
stolæ.

Euangelium Luc. 11. v. 9.
Ego dico vobis petite &c. Finis v. 13.
Dabit Spiritum sanctum petentibus.

O Allsommectigste Euige Gud/ som selff haffuer befalit oss/ at wi vdi all vor anliggende nød oc trang skulle raabe til dig/ oc haffuer der hos loffuit at ville Bønhøre oc hielpe oss/ saa wi skulle tacke dig. Wi bede dig O Naadige Fader/ opliuss oss met din Hellig Aand/ oc giff oss din Naade/ at wi kunde rettelige nu oc alle vore Liffs dage betencke dine wsigelige oc rige Velgerninger/ som du haffuer beuiist oss baade til Liff oc Siel: For huilcke wi nu alle oc huer offre dig

vore

vore Læbers Offer/det er/aff gantske Hierte oc Mund tacke oc prijse dig oc loffuer oss at ville findis dig her effter lydige/oc holde det Løffte som wi dig i vor Daab tilsagt oc suorit haffue. Wi dissligiste / kiære Fader / nu med angerfulde Hierter effter din Befaling paakalde dig/ Bedendis ydmygeligen for din Søns JEsu Christi skyld/at du vilt hielpe oc trøste oss vdi all vor Angist oc nød / oc fri oss fra alle Synder/Sorrig/Fare oc Gienuordighed / som nu daglige i denne sidste onde Verdens tid formeris hos oss. O HErre vær oss miskundig oc barmhiertig/ oc lad oss altid finde din naadige Trøst oc Bistand/ saa ville wi met Mund oc Hierte baade her oc der til euig tid/ tacke/ loffue oc prijse dig / ved samme din kiære Søn/vor HErre Jesum Christum.

*

AMEN.

PRECATIO SE-
cundæ Diei.

Loco Epiſtolæ Textus Pſalmi
Euangelium Matth. 15. v. 7.
Hypocritæ bene de vobis dixit Eſaias,
Finis. v. 20. Non polluit hominem.

Lader os alle bede

BArmhiertige Gud oc kiære Frelſere / wi ælendige ſyndige Menniſke bekiende din ſtore Godhed oc Taalmodighed mod oſſ / i det du daglige kalder oſſ ved dit Ords Predicken til din Naadis deelactighed oc til en Chriſtelig omuendelſe oc Leffnit: Dog wi icke ſaa troligen handle oſſ mod dig ſom oſſ burde: Men mod din Villie oc Bud ilde forſeer oſſ / foracter din Lærdom oc Paamindelſe / forkaſte dit Ord / oc der vdoffuer ere henfaldne i alt vgudeligt Væſen / Vrætuished / Wreenhed / blodige Eeder oc Formaledidelſer / ja vanbruge alle vore Lem-

mer

mer til din Fortørnelse / til vor Næ-
stis skade oc vor egen Fordærffuel-
se. Wi bede dig O milde Jesu/ til-
giff oc forlad oss saadane vore groff-
ue Synder oc store wtacknemmelig-
hed/ huilcke wi beuise dig for dit Ord
oc Velgierninger. Hielp oss her eff-
ter at leffue effter dine hellige Bud
oc befalning vden all skrømterj / saa
dit Ord oc Lærdom icke skal bliffue
oss Orsage til større straff oc For-
dømmelse: Men giør oss retsindige
tro Christne/ oc lad oss rettelig bruge
denne Naadis tid wi nu leffuer vdi.
Opliuss vore Hierter oc Sind/ at wi
maa bekomme en ret Forstand om
dit Hellige Ord oc Villie oc altid
skicke oss der effter/ Paa det wi icke
skulle falde vdi din Vredis Grum-
hed / plagis met en ond Samuittig-
hed oc beskemmis for din rætferdige
Domstoel / fra huilcken er ingen be-
frielse. Derfor ledsage du oss paa
dine Veye/ Hielp vor skrøbelighed

 oc før

oc før oss til din Glæde oc Salig-
hed/ oc det for din hellige Død
oc Fortieniste skyld/
Amen.

PRECATIO TER-
tiæ Diei.

Loco Epistolæ Textus Psalmi.
Euangelium Ioh. 15. v. 1.
Ego sum vitis, &c. Finis. v. 11. Et
gaudium vestrum impleatur.



Naadefulde Trofaste
Gud oc HErre/ som er
all vor styrcke oc tilfluct.
Wi bede dig/ hielp oss at
wi allene sætte vor Hiertens Tro oc
Tillid til dig/ oc icke forlade oss paa
denne falske Verdens Forfengelig-
hed/ eller aff hinde ved Sathans
indskiudelse forføris til at giøre no-
git ont/ Men lad din gode Aand
føre oss paa Salighedsens Vey/ at
wi kunde staa aff det onde oc giøre
det

det gode / Kaarsfeste den gamle A-
dam oc iføre oss det ny Menniske /
At wi her effter icke skulle fortørne
dig / skade vor Næste oc kalde din
Straff offuer oss. Lad oss boe ro-
lige oc tryggelige i fred oc enighed
vdi disse Land oc Riger / vnder dine
Vingers skygge oc ved din krafftige
Haand beskermis / fra alle vore Fi-
enders Trusel oc Offueruold. Giff
dit Ord oc Ære fremgang hos oss /
Oc beuare vor Allernaadigste Her-
re oc Konning fra all vaade oc fa-
re / Meddele hannom Lycke oc frem-
gang i sit Regimente / oc lige som du
haffuer ladit alting haffue en lycksa-
lig Begyndelse met hans Naadis
Kroning oc Regimentis indtrædelse /
Saa giff hannom oc fremdelis en
lycksalig fremgang oc stadfeste i han-
nom det du haffuer begynt. Holt
hans Hierte altid hos dig oc bliff du
hos hannom / at hand kand forfrem-
me dit hellige Naffns ære vdi it
Chri-

Christeligt Regimente. Beuar hans kiære Fru Moder Dronning Sophia :/: Hans Naadis Høybaarne Brødre / Systre oc gantske Kongelige Hus :/: Saa oc alle Rigens Raad / Øffrighed oc Vndersaatte :/: Oc naadelige borttag dit rætferdige Rijss oc Straff fra disse Lande / som wi met vore wtallige groffu Synder vel fortient haffue. :/: Giff Lycke oc benedidelse / gode Raad o Anslag / Fruct oc grøde / Sundhe oc Salighed / oc altid velsigne vor Henders gierninger :/: At wi vdi vor Kald kunde atspørge vort Brød ret ferdelige / nyde din Faderlige Hielp oc Velsignelse :/: Oc altid glædis o frydis i dig her vdi Verden / oc siden nyde euig Salighed hos dig i Himmerige /

AMEN:



